

De tragicorum Graecorum dialecto curae secundae.

Postquam ante quatuor annos dissertationem inauguralem de tragicorum Graecorum dialecto scripsi, cujus partem priorem, quae erat de Dorismo, typis tum exprimendam curaveram, occasio quae nunc mihi oblata est, ut gymnasii annalium prooemium scriberem, idonea esse videbatur, ut ejus dissertationis alteram partem adhuc in scriniis servatam, in qua de epici sermonis licentiis disputatur, literis mandarem. Quod propositum perfecturo haud exiguum impedimentum obsistere videbatur, quod proximo anno commentatio accuratissima in publicum prodiit Gerthii in Ge. Curtii studiis grammaticis*), qua in commentatione tam diligenter tamque accurate in illam ipsam rem, de qua ipse scripseram, inquiritur, ut paene inutile et supervacaneum esse videretur, rem perfectam et absolutam denuo tractare, nisi accuratius dissertationem illam perlegenti plura mihi occurrissent, quibus non plane assentior. Quamobrem cum Gerthius eximia qua usus est diligentia et acuto suo judicio multis in rebus adjutor quasi et auctor mihi extiterit, nunc ita scribere constitui, ut totam rem denuo tractarem, quae minus recte mihi dixisse videtur corrigens aut refutans, quae nova addidit et ipse addito ejus nomine afferens.

Antea tamen alium doctum virum, amicum quidem et qui olim studiorum academicorum socius fuit, in jus vocare liceat, Richardum dico Dresselium, cujus eodem anno 1869 dissertatio inauguralis Jenae prodiit: „De dorismi natura atque usu in Graecarum tragoediarum diverbiis et anapaestis“, in qua pauca quaedam, quae ipse falso in mea dissertatione statueram corriguntur, nonnulla accuratius definiuntur, alia ita proponuntur, ut non ab omni parte consentire possim. Igitur cum hoc quoque docto viro contendere liceat, ita quidem, ut totius dissertationis argumentum breviter repetam, quae non vere dixit, corrigam aut refutem.

Pars prior de Dorismi usu in anapaestis.

Primum Dresselius de universo dorismi usu verba faciens, disputat de ratione, quae inter vocalem α et Ionum Atticorumque η intercedit. Apud hos enim α brevis, quae

*) Ge. Curtius, Studien zur griech. und latein. Grammatik, Lips. 1869, zweites Heft.

in stirpe vocabulorum est, ubicunque produci natura flexionis poscit, in η transit non solum in flexione, ut $\mu\omicron\upsilon\sigma\alpha$ — $\mu\omicron\upsilon\sigma\eta\varsigma$, $\tau\iota\mu\acute{\alpha}\omega$ — $\tau\iota\mu\acute{\eta}\sigma\alpha$, $\acute{\alpha}\gamma\omega$ — $\acute{\eta}\gamma\omicron\nu$, sed etiam intra stirpes, quarum has affert: $\acute{\alpha}\gamma\omega$ — $\acute{\eta}\gamma\omicron\upsilon\mu\alpha\iota$, $\acute{\eta}\gamma\epsilon\mu\acute{\omega}\nu$; $\alpha\upsilon\delta\acute{\alpha}\nu\omega$ — $\acute{\eta}\delta\omicron\mu\alpha\iota$, $\acute{\eta}\delta\acute{\upsilon}\varsigma$, $\acute{\eta}\delta\omicron\nu\acute{\eta}$; $\gamma\alpha\mu\acute{\epsilon}\omega$ — $\xi\gamma\eta\mu\alpha$; $\delta\acute{\alpha}\kappa\omega$ — $\delta\acute{\eta}\xi\omicron\mu\alpha\iota$; $\theta\acute{\alpha}\lambda\lambda\omega$ — $\tau\acute{\epsilon}\theta\eta\lambda\alpha$; $\kappa\lambda\acute{\alpha}\zeta\omega$ — $\kappa\acute{\epsilon}\lambda\lambda\eta\gamma\alpha$; $\lambda\alpha\gamma\chi\acute{\alpha}\nu\omega$ — $\lambda\acute{\eta}\xi\omicron\mu\alpha\iota$; $\lambda\alpha\mu\beta\acute{\alpha}\nu\omega$ — $\lambda\acute{\eta}\rho\omicron\mu\alpha\iota$; $\lambda\alpha\nu\theta\acute{\alpha}\nu\omega$ — $\lambda\acute{\eta}\sigma\omega$; $\xi\lambda\alpha\kappa\omicron\nu$ — $\lambda\epsilon\lambda\eta\kappa\acute{\omega}\varsigma$; $\mu\alpha\nu\omicron\upsilon\mu\alpha\iota$ — $\mu\acute{\epsilon}\mu\eta\eta\alpha$; $\epsilon\pi\acute{\alpha}\gamma\eta\nu$ — $\pi\acute{\eta}\gamma\eta\nu\mu\iota$; $\epsilon\pi\lambda\acute{\alpha}\gamma\eta\nu$ — $\pi\lambda\acute{\eta}\sigma\omega$, $\pi\lambda\eta\gamma\acute{\eta}$; $\epsilon\delta\acute{\omicron}\acute{\alpha}\gamma\eta\nu$ — $\acute{\omicron}\acute{\eta}\gamma\eta\nu\mu\iota$; $\sigma\alpha\pi\acute{\eta}\sigma\omicron\mu\alpha\iota$ — $\sigma\acute{\eta}\pi\omicron\mu\alpha\iota$, $\sigma\acute{\epsilon}\sigma\eta\eta\alpha$; $\tau\alpha\rho\acute{\alpha}\sigma\omega$ — $\tau\acute{\epsilon}\tau\eta\eta\chi\alpha$; $\epsilon\tau\acute{\alpha}\kappa\eta\nu$ — $\tau\acute{\eta}\kappa\omega$; $\delta\iota\acute{\epsilon}\tau\mu\alpha\gamma\epsilon\nu$ — $\tau\mu\acute{\eta}\gamma\omega$; $\gamma\theta\acute{\alpha}\nu\omega$ — $\gamma\theta\acute{\eta}\sigma\omicron\mu\alpha\iota$, $\chi\alpha\nu\omicron\upsilon\mu\alpha\iota$ — $\kappa\acute{\epsilon}\chi\eta\eta\alpha$, $\varphi\alpha\nu\tilde{\omega}$ — $\epsilon\varphi\eta\eta\alpha$, $\pi\acute{\epsilon}\varphi\eta\eta\alpha$ alia. Praeterea nomen in quo eadem mutatio est, affert: $\mu\acute{\alpha}\kappa\rho\omicron\varsigma$ — $\mu\acute{\eta}\kappa\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$, $\mu\acute{\eta}\kappa\omicron\varsigma$. Doriensos autem pro η dixerunt α , quod et ipsum ex α brevi profectum esse his exemplis probatur:

$\acute{\alpha}\lambda\iota\beta\alpha\tau\omicron\varsigma$ dor., $\acute{\eta}\lambda\iota\beta\alpha\tau\omicron\varsigma$ Homer. derivatur ab $\acute{\alpha}\lambda\iota\tau\epsilon\iota\nu$ et $\beta\alpha\iota\nu\epsilon\iota\nu$.

$\acute{\eta}\lambda\iota\omicron\varsigma$, $\acute{\eta}\acute{\epsilon}\lambda\iota\omicron\varsigma$ Homer. et dor. $\acute{\alpha}\lambda\iota\omicron\varsigma$, $\acute{\alpha}\acute{\epsilon}\lambda\iota\omicron\varsigma$ a stirpe $\acute{\alpha}\lambda$ —, quae conspicitur in v. $\acute{\alpha}\lambda\acute{\epsilon}\alpha$ „solis aestus“.

Vocabula a v. $\acute{\alpha}\nu\epsilon\mu\omicron\varsigma$ derivata (cf. meam diss. p. 42)

$\delta\acute{\upsilon}\sigma\tau\eta\eta\eta\omicron\varsigma$ et $\delta\acute{\upsilon}\sigma\tau\alpha\eta\eta\omicron\varsigma$ a $\delta\upsilon\varsigma$ et $\sigma\acute{\tau}\epsilon\eta\epsilon\iota\nu$, cujus verbi stirps α breve continet, sicut $\delta\acute{\epsilon}\rho\epsilon\iota\nu$ verbi stirps $\delta\acute{\alpha}\rho$ apparet in $\delta\acute{\epsilon}\delta\alpha\rho\chi\alpha$, $\epsilon\delta\acute{\alpha}\rho\eta\eta\nu$, et $\tau\epsilon\iota\eta\omega$, $\tau\epsilon\eta\tilde{\omega}$, stirpem $\tau\alpha$ habet in $\tau\acute{\epsilon}\tau\alpha\chi\alpha$, $\kappa\tau\epsilon\iota\omega$ — $\acute{\epsilon}\kappa\tau\alpha\chi\alpha$.

$\zeta\eta\eta\omicron\varsigma$ et $\zeta\alpha\eta\omicron\varsigma$ a $\zeta\acute{\alpha}\omega$, quo in vocabulo apud Eurip. Hipp. 63 pro α putaveram scribendum esse η , cum ne Pindarus quidem in hoc vocabulo dorismo utatur, sed invenitur $\zeta\alpha\eta\omicron\varsigma$ etiam Med. 212, et in titulo Cretico (c. i. 2555) et apud posteriores poetas Aeolicos*)

$\kappa\lambda\acute{\eta}\eta\eta\omicron\varsigma$ et $\kappa\lambda\acute{\alpha}\eta\eta\omicron\varsigma$ a $\kappa\lambda\acute{\alpha}\epsilon\iota\nu$.

Deinde Dresselius ea vocabula commemorat, quae α habent, quamquam a stirpibus in ϵ exeuntibus profecta sunt; sunt autem praeter verba a me p. 21 allata: $\acute{\alpha}\acute{\omega}\varsigma$ pro $\acute{\eta}\acute{\omega}\varsigma$ Eur. Or. 1002, El. 727, Rhes. 524 et $\acute{\alpha}\pi\acute{\upsilon}\omega$ pro $\acute{\eta}\pi\acute{\upsilon}\omega$ ab $\epsilon\pi\omicron\varsigma$ So. Aj. 887, Eur. Hec. 152: $\omicron\iota$ ' $\gamma\omega$ $\mu\epsilon\lambda\acute{\epsilon}\alpha$, $\tau\iota\pi\omicron\tau$ ' $\acute{\alpha}\pi\acute{\upsilon}\sigma\omega$. Longius moratur Dresselius in eis vocabulis in quibus scribendis Attici ipsi vel optimis temporibus inter α et η fluctuaverunt; de quibus ipse dixi in dissertatione mea p. 38 sq., sed addenda sunt haec: $\beta\alpha\lambda\acute{\omicron}\varsigma$ limen Aesch. Cho. 565 a verbo $\beta\alpha\iota\nu\omega$: $\epsilon\iota$ δ ' $\omicron\upsilon\tilde{\nu}$ $\acute{\alpha}\mu\epsilon\iota\tau\omega$ $\beta\alpha\lambda\acute{\omicron}\nu$ $\acute{\epsilon}\rho\kappa\epsilon\iota\omega\tilde{\nu}$ $\pi\upsilon\lambda\omega\tilde{\nu}$.

$\acute{\alpha}\rho\alpha\alpha$ Hipp. 1091: $\acute{\alpha}\rho\alpha\epsilon\nu$, $\acute{\omega}\varsigma$ $\acute{\epsilon}\omicron\iota\kappa\epsilon\iota\nu$ ' $\tilde{\omega}$ $\tau\acute{\alpha}\lambda\alpha\varsigma$ $\acute{\epsilon}\gamma\omega$. — $\sigma\epsilon\iota\tau\alpha\gamma\omicron\omicron\varsigma$ Ag. 807, J. A. 220, Ar. nub. 1300. — $\alpha\upsilon\delta\alpha\sigma\omicron\nu$ „loquere“ Aesch. fr. 20.

Pag. 29 commemorat $\pi\acute{\omicron}\rho\pi\alpha\acute{\xi}$ Eur. Hel. 1377, Rhes. 373; $\omicron\iota\acute{\alpha}\acute{\xi}$ Sept. 2, $\omicron\iota\alpha\zeta\omicron\sigma\tau\acute{\rho}\omicron\phi\omicron\varsigma$ ib. 62, Ag. 767, Med. 520, So. fr. 785.

Miratur Dresselius, $\acute{\Lambda}\theta\acute{\alpha}\nu\alpha$ deae nomen a me omissum esse, sed primum hoc vocabulum in diss. mea p. 19 legere poterat, ubi diserte dixi hoc Deae nomen etiam in diverbio legi Aesch. Eum. 234, 435, Soph. Aj. 14, 91, 112, Ar. nub. 602. Tum vero injuria Dresselius hanc vocem Doricam esse negat, veteri Atticorum linguae tribuens. Recte enim de hoc vocabulo Gerth disputavit (comm. p. 265), dicens ante Euclidem archontem cum forma contracta $\acute{\Lambda}\theta\eta\nu\tilde{\alpha}$ omnino nondum fuisset vel nondum in litterarum usum relata, tragicos poetas facere non potuisse, quin aut nomen tum usitatum usurparent $\acute{\Lambda}\theta\eta\nu\alpha\iota\alpha$, aut formam Doricam, qua sine dubio in eis carminibus, quibus Dea in templorum caerimoniis coli solita esset, semper usi essent.

*) cf. Anecd. Oxon. III, 237, 26; Kühner gramm. graeca ed. II, p. 108.

Denique voces ποιάνωρ Pers. 240 et ποιανόριον ib. 76 affert, quae tamen in ποιάντωρ, ποιαντόριον mutanda esse contendit, cum ποιάν dici veteres grammatici vetent, neque verisimile sit Aeschylum hyperdorismo usum esse. Sed hoc argumentum futile est. Nam primum per se veri simile est, hoc vocabulum eodem modo ab ἀνήρ compositum esse, quo γιλάνωρ, στυγάνωρ, τρυσάνωρ cetera quae p. 41 diss. m. attuli; deinde Eustathii atque Hesychii verbis haec derivatio bene confirmatur. Eustathii verba, quae G. Hermannus ad Pers. 76 affert, haec sunt: τὸ δὲ ποιμήν λαὼν, ταὐτὸν ὃν τῶ ἀνδρῶν ποιάνωρ, συντέθως Αἰσχύλος εἶρηκε, καὶ τὸ τοιοῦτον ποιμνιον ποιανόριον.

Hoc loco statim nomina propria Θρήνη Hec. 73 et Μηλιεύς, Pers. 484, Trach. 193, Phil. 4, addo, quae a me omissa, recte a Dresselio p. 36 auctore Ellendtio (in lexico Soph.) in eorum verborum numero habentur, in quibus tragici pro α, quod vulgo scribebatur scripserunt η, ut rariorem et augustiorem formam ei praeferrent, quae cotidie usu tereretur.

His absolutis Dresselius ad Dorismi usum in anapaesticis versibus explicandum transit, quam rem cum ipse in dissertatione mea minus copiose tractaverim cumque videam, in hoc capite plura mihi contra Dresselium monenda esse, altius repetere liceat. Primum Dresselius duplex genus anapaestorum esse contendit, unum legitimum, alterum liberiorum; statim inter legitima anapaestorum systemata quatuor species discernit

1) ea systemata, quae choro prodeunte atque ambulante a coryphaeo recitata sunt, Aesch. Su. 1—39 *); Pers. 1—65, Ag. 40—103, Eum. 304—318, Soph. Aj. 134—171, Eur. Hec. 96—151.

2) eos anapaestos, qui initio novi episodii recitati sunt aut a chori duce aut ab actoribus intransantibus: Aesch. Prom. 279—299, 558—562, Pers. 139—153, 887—900, Sept. 838—851, Ag. 749—776, Soph. O. R. 1297—1307, Ant. 376—383, 526—530, 620—636, 800—805, 1257—1260; Phil. 1409—1417; Eur. Or. 340—347, 1011—1016; Phoen. 1485—1489; Med. 1069—1104; Hipp. 1272—1284, 1332—1337; Alc. 28—37, 753—758; Andr. 485—491, 1139—1145, 1197—1202, Tro. 232—236, 569—578, 784—800, 1106—1111, 1240—1250; Su. 798—801, 983—992, 1119—1128; Ion. 82—111, 1246—1251, J. T. 442—452, J. A. 586—602, H. F. 440—447; El. 987—997, 1229—1233.

3) eos qui fabulis aut singulis episodiis finem faciunt: Aesch. Su. 609—613, 933—948; Prom. 880—888, 1044—1097; Pers. 527—542, 626—635; Sept. 802—811, 1040—1065; Ag. 340—351, 1291—1302; Cho. 705—715, 841—855, 1062—1073; So. Aj. 1163—1167, 1402—1419; El. 1508—1510; O. C. 1751—1780; Ant. 929—943, 1347—1353; Troch. 1259—1278; Phil. 1447—1471; Hec. 1271—1273; Or. 1692—1703; Phoen. 1765—1767; Med. 359—365, 754—758, 1069—1104, 1378—1408; Hipp. 169—174, 1456—1460; Alc. 1162—1166; Andr. 1256—1260; Rhes. 986—989; Su. 1240—1242; J. T. 1458—1467; Bacch. 1357—1381; Heracl. 288—296, 700—706, 1053—1055; Hel. 1689—1693; H. F. 1516—1517; El. 1288—1353.

4) eos denique, qui inter antistrophica et inter threnos interjecti sunt, quibuscum

*) Versus indicit Dressel Aeschyli ex edit. Hermannii, Sophoclis ex ed. Dindorfii minore, Euripid. ex ed. Kirchh.

eas strophas comparat, quae in primarum tragoediarum παρόδῳ systemata anapaestica antecedeant: Aesch. Prom. 93—100, 120—127, 136—143, 152—158, 168—178, 188—194, Ag. 1418—1421, 1430—1435, 1443—1448, 1457—1461, 1465—1472, 1481—1485, 1487—1496, 1504—1512, 1516—1526, 1534—1544, Cho. 303—311, 336—340, 367—374, 395—399, 470—472; Eum. 914—924, 936—942, 953—960, 971—977, 985—995; So. Aj. 201—220, 233—244, 257—262; O. C. 138—148, 170—177, 188—193; Ant. 110—116, 127—133, 141—147, 155—162, 817—822, 834—837; Phil. 144—149, 159—168, 191—200; Eur. Med. 96—132, 139—148, 161—173, 186—205; Hipp. 175—266; Alc. 246—251, 283—290, 873—884, 891—901, 908—915, 921—934; Andr. 505—512, 526—533; Rhes. 1—22, 34—40 *).

Horum quatuor generum systematum anapaesticorum tria priora a diverbiis trimetrorum et trochaicorum versuum non differre Dresselius demonstrat nisi metro ad rhythmum hominis graviter incedentis apto, eamque ab rem in iis communem Atticorum dialectum esse, cui quae adversentur, aut singulorum locorum natura explicanda sint, aut liberiorum errori tribuenda. Ita voces Ἀτρεΐδαν Ag. 43, et εὐπατρίδαν Hipp. 1272 bene ad locorum gravitatem convenire, cum ζεύγος Ἀτρεΐδαν a senibus dicatur nobilissimum atque amplissimum regum par, voce εὐπατρίδαν autem Dea Artemis Αἰγέως παῖδα Theseum regem adloquatur. Simili de causa vocabulis χιλιοναύταν Ag. 45, J. T. 139, et παγχοίτας Ant. 804, 810 graviolem formam tributam esse, quod illi priori notio peramplae molis insit, hoc Tartari epitheton severi aliquid et triste habeat. Non male etiam in verbis δύστανε et θνατός Dorismum facile eo explicari contendit, maxime apud Euripidem, quod cum emphasi quadam in allocutione pronuntiarentur, et tristis et funesta notio iis vocibus insit.

De interjectorum denique anapaestorum dialecto quos quarto loco posuit eam legem a poetis observatam esse statuit, quam ipse olim omnino de omnibus legitimis systematis constitueram, in singulis orationibus huic metro adstrictis dorismum aut plane evitatum esse aut semper usurpatum, ita ut in sententiis gravioribus magna voce et cum emphasi quadam pronuntiatis doricis formas, in iis, quarum oratio sedatior sit, Atticas formas adhibuerint. Eandem legem in talibus legitimis systematis adhibitam esse statuit, quae quoniam sententia ad lugubria carmina accedant, proprie in liberiorum anapaestorum genere numeranda sint, ut Med. 96—132, Hipp. 175—266, Prom. 88—127. Sed de hac postrema sententia quid statuendum sit, postea videbimus.

Denique ad anapaestica systemata liberiora transiens hic quoque dorismi usum ab affectu qui singulis locis exprimitur, pendere Dresselius demonstrat. Sed de hoc capite plura habeo, in quibus non plane cum scriptore consentiam. In liberiorum enim anapaestorum numero omnes eos anapaestos ponit, in quibus non ullum trium illorum argumentorum quae legitimis systematis tribuit, exprimitur. In liberioribus systematis cum non idem spectetur quod in tribus illis anapaestorum generibus, licere contendit, anapaestorum progressum secundum naturam et gradum affectus qui exprimitur, variari et adhibita esse haec systemata a tragicis in carminibus lugubribus, imprimis ab Euripide, atque modo a choro, modo a singulis in monodiis, modo invicem a choro et una persona, modo

*) Accedunt Soph. Trach. 971—1004 (cf. infra).

a duabis personis invicem cantata esse (quanquam, ut paulo ante vidimus, tragicos etiam legitimis systematis ad lugubre argumentum exprimendum usos esse, Dresselius concedit). Iam liberiorum anapaestorum systemata numerat haec:

Aesch. Su. 144—147, 157—160; Pers. 695—697, 701—703, 902—972; Cho. 1001—1004, 1013—1016; Soph. El. 86—120, 193—206, 213—226, 233—242, 1160—1162; O. R. 1408—1311; Trach. 971—1004, 971—1004; Eur. Hec. 60—95, 152—215; Hipp. 1338—1370, Alc. 77—113, 134—140, Tro. 98—231, Ion. 144—184, 867—927, J. T. 123—917, J. I. 123—227, J. A. 1—48, 115—161, 1281—1329.

Quos quidem versus non omnes in liberiorum anapaestorum numero habendos esse, mihi quidem persuasum est. Sane in universum quidem paroemiacus bis deinceps scriptus et diaeresis extra medios dimetros signum est liberiorum anapaestorum, quanquam talia etiam in severioribus anapaestis fieri posse constat. Conferas de hac re Rossbachium et Westphalium in metrica vol. III, p. 97, ubi diaeresis intra medios dimetros neglectae haec exempla enumerantur:

Soph. Aj. 146 δορίληπτος, Ant. 382 βασιλείουσιν, El. 94 δύστηνον, O. C. 1760 ἀπειπεν, 1771 διακωλύσωμεν, Trach. 1276 ἰδοῦσα, Phil. 1470 ἀλῖαισιν, Aesch. Su. 625 λέξωμεν, Prom. 141 ἐσιδέσθαι, 171 μελιγλωσσος, Ag. 50 ἐρετυοῦσιν, cetera.

Sed ne paroemiacum quidem bis deinceps positum semper notam esse liberiorum anapaestorum, postea videbimus. Iam primum singulos versus, quos Dressel in horum numero habet, examinemus, num recte ab eo suo loco positi sint.

1) Aesch. Su. 144—147 (= 157—161) siquidem ab Hermanno recte dispositi sunt

Ω Ζήν, Ιοῦς ἰὼ μῆνις
μάστειρ' ἐκ θεῶν, ζωνῶ δ' ἄταν
γαμετᾶς σᾶς οὐρανόνιζον·
χαλεποῦ γὰρ ἐκ
πνεύματος εἶσι χειμών,

habes primum tres versus anapaesticos, deinde iambo et versum logaoedicum; omnes autem hi versus strophae trochaicae adjuncti sunt, ita ut ex iis ad dialectum iudicandam nihil colligi possit.

2) Pers. 695—97 (= 701—703) nolim cum Dresselio pro anapaestis haberi, sed pro Ionicis a minori, quorum Aeschylus magnopere studiosus fuisse constat (cf. Pers. 66 sq.), sequente anapaestico versu:

σέβομαι μὲν προσιδέσθαι,
σέβομαι δ' ἀντία λέξαι
σέθεν ἀρχαίῳ περὶ τάφῳ.

3) Pers. 902—972; quorum omnium versuum anapaesti sunt legitimi 902—910 (praeter ultimum, quem corruptum habeo), alii versus maximam partem anapaestici sunt, sed multis alloecostrophicis intermixtis, totusque locus non inter anapaestica systemata, sed inter commaticas tragoediae partes habendus est *).

*) Conferas dispositionem horum versuum, qualem Rossb. Westph. l. c. p. 118 dederunt.

4) Cho. 1001—1004 (= 1013—1016) sane liberiores anapaesti sunt, sed exclamationem magis continent, sedatiori Orestis orationi interjectam, similiter atque Soph. El. 1160—1163 Electrae oratio dipodiis anapaesticis cum exclamandi vocibus interjectis interrumpitur.

5) Soph. El. 86—120 recte mihi quidem a God. Hermann (in praefat. ad Hec. v. 63) „insigne legitimum systema“ appellati esse videntur, cui pauci dimetri catalectici interpositi sunt. Habemus autem systema v. 86—102 et antisystema 103—120. Dresselius hos versus inter eos numerare debebat, qui, quanquam lugubre et triste argumentum habent, tamen ad severiorum anapaestorum normam compositi sunt. Recte autem Dresselius cum in toto loco nulla dorica forma legatur, v. 90 vocabulum *πληγὰς*, quod L. habet, contra Hermann scripturam *πλαγὰς*, videtur servavisse.

6) Soph. El. 193—206 lyricae strophae sunt ex versibus omnis generis compositae; habemus paroemiacos, jambicos, unum dochmiacum; severiores anapaesti sunt 197—199 = 217—219.

7) Soph. O. R. 1308—11 anapaesti sunt plane legitime compositi, sed pro concitato orationis argumento doricarum formarum pleni, cum anapaesti chori, qui antecedunt, atticis formas praebeant.

8) Trach. 971—1004 liberiores anapaestos esse nullo modo mihi persuadere possum, cum in his omnibus versibus, antistrophicis paroemiaci in finibus tantum singularum orationum legantur; potius ex eorum genere sunt, quos supra Dresselius quarto loco posuit, inter antistrophica interjectos; de his versibus ipse p. 35 diss. m. plura locutus sum.

9) Eur. Hec. 60—95 liberiores anapaestos esse non credo, quia nusquam paroemiacus iteratur, sed recte God. Hermannus in praefat. ad Hec. totum hunc locum in systemata plura dividendum esse intellexit, quorum alia dorismo carent, alia eum habent; sed aliter atque Hermannus fecit, singula systemata inter se definiri velim, paroemiacis singulis systematis finem facientibus. Habemus igitur

a) primum systema v. 58—66, ex legitimis anapaestis compositum (Proceleusmaticus enim in primo pede v. 61

λάβετε, φέρετε, πέμπετ', αείρετέ μου

apud Euripidem certe nihil alieni habet) et Atticis formis scriptum praeter *διεχειδομένα* v. 66, quod facile mutari potest;

b) secundum systema v. 67—72, item legitimum, sed dorice coloratum (praeter *μητέρ* v. 71);

c) tertium systema v. 73—81, duobus dactylicis hexametris incipiens, communi lingua scriptum;

d) quartum systema 82—89, ex anapaestis legitimis compositum, doricis formis scriptum;

e) denique quintum systema v. 90—97, et ipsum sicut syst. III hexametris incipiens, sed doricarum formarum plenum. Habemus igitur praeter dactylos nullos versus nisi anapaesticos, etsi ubi atticae, ubi doricae formae scribendae sint, interdum poetae arbitrio permittendum videtur. Hecubae versus deinde v. 98—153 anapaesti chori sequuntur, legitime compositi; tum v. 154—176 threnus Hecubae maximam partem ex paroemiacis constans, interjectis nonnullis alloestrophicis versibus; totus autem locus pro lugubri verbo-

rum argumento doricarum formam plenus est; eodemque modo in amoebaeis anapaestis Hecubae et Polyxenae doricæ tantum formæ leguntur.

10) Hipp. 1347—1387 non, ut Dresselius putat, liberiores tantum anapaesti sunt, sed hic quoque post chori anapaestos, quibus Hippolyti adventus nuntiatur, v. 1347—1369 habes complura systemata anapaesticorum versuum, paroemiæ bene inter se secretorum et legitime compositorum:

a) v. 1347—1350 (post voces *αἰαῖ, αἰαῖ*)

b) v. 1351—1353, nam v. 1353 qui falsus est, ita videtur emendandus esse, ut paroemiæ existat.

c) v. 1355—1369, plane legitimi, ubi num duæ doricæ formæ, quæ leguntur v. 1351 (*ζεγαλᾶς*) et v. 1366 (*γαῖς*), de industria scriptæ sint, diiudicari non potest neque multum interest.

d) denique v. 1370—1388 alloestrophici versus sunt, interjectis anapaestis.

11) Alc. 77—113 quorum versuum anapaestici sunt v. 77—85, iique legitimi; sequitur v. 86—92 carmen antistrophicum (= 98—104), interjectis anapaesticis versibus altercantibus duorum semichoriorum, qui plane legitimi sunt, argumento diverbiorum simili; denique in fine totius loci anapaesti sunt.

12) Tro. 98—234; quorum v. 98—121 legitimi anapaesti sunt; v. 122—152 liberiores anapaesti, saepe paroemiæ bis deinceps scriptis; deinde v. 153—175 (= 176—196) strophæ sequuntur, ex anapaestis legitimis et illegitimis altercatim compositæ, ita quidem ut chorus vel hemichoria legitimos recitent, Hecuba liberiores. Succedunt strophæ chori, ex liberioribus anapaestis et paroemiæ compositæ, 197—213 = 214—229; finem denique quatuor legitimi versus anapaestici faciant, quibus chorus Talthybii adventum indicat.

13) Ion. 859—922, qui versus sic disponendi videntur. Tota Cræusæ monodia incipit tribus liberioribus anapaesticis versibus, doricarum formarum plenæ, quibus summa animæ desperatio exprimitur:

ὦ ψυχά, πῶς σιγάσω,
πῶς δὲ σοτιάς ἀναγῆνω
εὐνάς, αἰδοῦς δ' ἀπολειφθῶ;

Sequuntur 862—880 19 dimetri anapaestici legitimi et atticæ formas habentes præter *ἀπτόν* v. 873 in dipodia *πόττιαν ἀπτόν*, et *ψυχά* v. 877, quo in vocabulo libenter Euripides dorismo usus esse videtur. Ita Alc. 108 (*ἔθιγες ψυχᾶς, ἔθιγες δὲ φρενῶν*) in amoebæis versibus semichoriorum argumento diverbiis consimili, præter hanc solam formam *ψυχᾶς* atticæ tantum formæ leguntur. Ipse Dresselius p. 28 vocabula *θνατοῖς, θνατῶν, ἀμέτερος, δύστανος* in eorum genere enumerat, in quibus nostri temporis homini difficile sit iudicare, utrum errori librariorum criticorumve arbitrio dorismus tribuendus sit, qui iisdem formis carminibus lyricis assuefacti erant, an poetarum ipsorum propriæ fuerint, qui hac ipsa re Atticorum hominum auribus servire studerent.

14) Eur. J. T. 123—235 sane ut Dresselius fecit inter liberiora anapaestorum systemata numerandi sunt. Totus enim hic threnus inter chorum et Iphigeniam altercans paucis versibus exceptis ex paroemiæ ad taedium usque repetitis constat. Severiores anapaesti sunt tantum novem versus 170—178, in quibus Iphigenia, postquam triste somnium quo suum fratrem se immolaturam esse vidit, cum choro communicavit, sedatiore

animo ad ipsum fratrem ignotum se convertit, quem nusquam se visuram esse sperat, cum procul a patria remota sit. Sed ne in his quidem severioribus anapaestis poeta pro elatiore qui toti loco inest animo doricis formis abstinit.

Deinde inter liberiores anapaestos Dresselius affert

15) J. A. 1—48, etsi in his versibus non habemus nisi legitimos anapaestos, paroemiacos in finibus tantum singularum orationum, neque ne una quidem dorica forma in omnibus his versibus apparet. Sunt hi anapaesti in eorum potius genere habendi, qui cum argumentum habeant diverbiis trimetrorum consimile, metro tantum, non etiam dialecto a diverbis abhorrent, cujus versuum generis Euripides maxime studiosus fuit. — Similis ratio est versuum,

16) J. A. 115—163, qui et ipsi colloquium inter Agamemnonem et senem continent; sed altercantur inter se anapaesti severiores et liberiores, ita ut senex semper utatur severioribus, liberioribus Agamemnon doricis formis adhibitis, sed initio tantum (v. 117—123, ubi epistulae argumentum cum sene communicat), et in duobus paroemiis 136—137, quos statim legitimi anapaesti sequuntur, communibus formis scripti; nam in voce *Ἀελίου* v. 157 injuria Dresselius p. 39 dorismum tolli vult, cum idem vocabulum in severioribus anapaestis inter communes formas v. 1282 appareat et facile haec quoque vox ex earum genere esse possit, in quibus propter divinum Solis numen dorismus nihil alieni habuerit.

17) J. A. 1276—1335, quos versus, lamentationes Clytaemnestrae et Iphigeniae moriturae continentes plane Dresselius omittere debebat, cum totus hic locus initio tantum nonnullos anapaesticos versus, eosque legitimos et communibus formis scriptos contineat, versus autem qui sequuntur 1281—1335, alloestrophici lamentationem Iphigeniae de tristi sua condicione expriment, plane Euripideo more compositi.

Omnium igitur eorum versuum, quos Dresselius inter liberiores anapaestos haberi vult, secundum exanimationem a nobis institutam hinc tantum Euripidei versus restant, de quibus hoc vere dici potest:

- a) Hec. 152—215 lamentationem inter Hecubam et Polyxenam continentes
- b) Tro. 197—229, ubi chorus Hecubae adversam fortunam deplorat,
- c) Ion. 144—184, versus lamentantis Ionis, lyrico carmini antistrophico ejusdem actoris succedentes
- d) denique J. T. 123—239.

Et liberioribus anapaestis hos versus ideo adscribere placet, primum quia paroemiaci praevalet, paucis tantum alloestrophicis versibus intermixtis, tum quia argumentum ad lyricas tragoediae partes proxime accedit, cum omnes hi versus longiores lamentationes aut singularum fabulae personarum aut chori contineant, quo in genere Euripidem nimium fuisse constat.

Quodsi universae quam instituimus disputationis summam facere volumus, nimis angustis finibus Dresselius, qui ipse quidem Rossbachium et Westphalum sequitur, legitimorum anapaestorum usum circumscripsisse videtur, si haec systemata ad eum tantum finem a tragicis adhibita esse putat, ut a duce chori recitentur, aut dum ipse intrat graviter ambulans, aut dum actores prodeunt et decedunt. Ipse Dresselius (p. 33), Rossbachio et Westph. praeiuntibus (cf. metr. p. 125) concedit, legitima systemata interdum ad lugubria carmina adhibita esse, quorum propria forma liberiores anapaesti sint, cujus rei

exemplum affert Aesch. Prom. 93—100, 120—127, ubi Prometheus solitam orationem trimetris expressam anapaestis interrumpit. Praeterea interjecti sunt Bacchiacus v. 115:

τίς ἀχώ, τίς ὁδὸν προσέπτα μ' ἀφεγγής et v. 117:

et v. 117: *ἔτετο τερόμνιον ἐπὶ πάγον,*

ex dochmio et cretico constans.

Nimius Dresselius est contendens, severiores anapaestos, cum ab initio *ἐμβατήρια* fuerint, hanc rationem postea quoque servavisse, cum e. g. ii anapaesti, quibus novae personae adventus indicatur vel ii, qui fabulis aut singulis episodiis finem faciunt, plerumque nihil contineant, quod ad *ἐμβατήρια* referri possit, sed precationem maxime continent, quibus dialogo, qui praecessit, finis imponitur *).

Adhibebantur anapaesti ut vidimus etiam ad colloquia, maxime ab Euripide, qui usus non ita alienus videtur, si consideramus anapaestos omnino et rhythmum et argumento medium quendam locum inter diverbia et lyrica obtinere.

Vel illud quod Rossbach. et Westphal. p. 114 liberiorum anapaestorum signum afferunt, anapaesticos versus secundarios, ut tripodias catalecticas et acatalecticas qui prosodiaci appellantur, his versibus intermixtos esse, hoc non invenitur nisi in illis ipsis locis, quos inter liberiorum anapaestorum systemata numerandos esse concessimus, ut

J. T. 154: *οἴμοι φροῦδος γέννα,*

ib. 213: *ἔτεκεν, ἔτρεφεν εὐχταίαν,*

Jon. 150: *ὅσιος ἀπ' εὐνᾶς ὄν.*

Ceteri versus quos afferunt

Aesch. Pers. 966: *Σαλαμινιάσι στυγελον,*

ib. 962: *ὀλοοῖς ἀπέλειπον*

sane inter liberiores anapaestos, neque vero in systemate, leguntur.

Rectam igitur sententiam de dorismi usu in anapaestis tragicorum tum mihi videor habuisse, cum scribebam (p. 35 diss. m.) in singulis orationibus huic metro, i. e. legitimis anapaestis adstrictis dorismum pro verborum animo atque sensu aut evitatum esse aut usurpatum, neque hujus sententiae meliorem testem in fine maxime hujus capitis afferre possum, quam God. Hermannum, qui in praefat. ad Eur. Hec. ita de hac re disserit: „In anapaestorum legitimis systematis non eadem ubique ratio obtinet. Ea systemata si per se constant atque a versibus, quorum propria est Dorica dialectus, plane disjuncta sunt, atticam communemve linguam habent, sin arctius cohaerent cum versibus in quibus Doricam dialectum adhibere mos est, ipsa quoque habent Doricam dialectum. Sic in Hecuba quae chorus loquitur 90—150, communi dialecto scripta sunt, eodem modo in iis, quae praecedunt Hecubae lamentis primum et tertium systema. In reliquis systematibus Dorica dialectus est, quippe haec aucta animi commotione cohaerent cum antistrophicis hexametris. In illegitimis anapaestorum systematis, in quibus dimetri catalectici e spondeis compositi primas partes habent, semper Dorica dialectus invenitur, ut in Hecubae et Polyxeniae lamentis, quae post chori anapaestos leguntur. Sed ubi insigni legitimo systemati pauci dimetri catalectici interponuntur, manet systematis communis lingua, ut Soph. El. 80.“

*) cf. Rossb. et Westph. p. 104: Eine die Anapäste begleitende Marschbewegung läßt sich nur in einzelnen Fällen nachweisen. Gewöhnlich enthalten sie ein ruhiges Gebet, als Abschluß des vorausgehenden bewegten Dialoges.

Pars altera.

De epicis tragici sermonis licentiis.

Jam ad alteram hujus commentationis partem accedo, in qua de iis grammaticis formis disputatur, quas tragici non ex ipsa Dorica dialecto, sed ex tradita poëtarum lingua, quali Homerus, quali lyrici poëtae usi sunt, sumserunt. In hoc capite maxime cum Gerthio mihi res erit, in cujus opere judicando eandem viam ingredi liceat, quam in Dresselii disputatione examinanda ingressus sum, ut quae ille peculiaria habet, breviter repetam, quae minus recte mihi dicta videntur corrigam, quae cum meis consentiunt, adjiciam. Peculiaris quidem Gerthii illa est ejus commentationis pars, cui inscripsit „de formis atticis antiquioribus“, i. e. de iis grammaticis formis, quae tragicorum aetate non jam in usu volgari essent, sed ob antiquitatis speciem ac magnificentiam cum poesis sublimitate bene congruere viderentur. Praeterea duae totius commentationis partes sunt, quarum altera est de epicarum formarum usu ac ratione, altera de vocabulis Doricis. Universae commentationi prooemii instar caput de artis criticae praesidiis praemisit.

In hoc prooemio primum disputat de antiquorum grammaticorum doctrina, demonstrans grammaticos et Atticistas in commentariis suis non tam a tragicorum poëtarum usu et proprietate, quam ab aliis Atticis scriptoribus, Thucydide, Isocrate, Demosthene, Aristophane proficisci; ubicunque igitur universa Attica dialectus in eorum commentariis significetur, aequum et justum judicium nisi adhibitis aliis artis criticae adjumentis fieri non posse, ibique tantum grammaticorum testimonio aliquid tribuendum esse, ubi tragicorum poëtarum auctoritas adjungatur. Deinde in §. 2 lyricam et comicam poësin inter se comparat, exponens quanti non solum lyricorum, imprimis Pindari, verum etiam comicorum poëtarum carmina sint momenti ad peregrinas formas, quae in tragoediarum canticis leguntur, judicandas et explicandas. Tum in paragr. tertia quae est de metri et peregrinarum formarum ratione, metri opportunitatem non causam peregrinarum formarum fuisse demonstrat, sed quasi moderatricem, quae formas diversas jam dudum in universam poësin receptas distribueret et digereret. Denique in hujus capitis paragr. quarta comprobatur, in dialecti vicissitudinibus judicandis etiam singularem unius cujusque loci naturam et indolem respiciendam esse, ut et ubi altius oratio assurgat eam orationis elationem graviora et reconditiora verba sequantur, et ad singulare interdum consilium exsequendum singularis quaedam vox et a reliqua totius loci specie diversa usurpetur; in quo cavendum, primum ne praejudicatis ducti opinionibus nostram potius opinionem in poëtae verba ingeramus, quam poëtae consilium ex ipsius verbis eliciamus, quoniam quid veteribus grave visum sit, quid volgare, quid incitatum, quid tranquillum, difficillimum est judicatu; deinde discrimen respiciendum est, quod inter ipsas tragoediae partes, cantica lyrica, diverbia, anapaestos intercedit, ne quae in una earum partium non legantur, ex altera removeamus, aut quae hic firmis nituntur argumentis, illic conjectura inferamus.

His praemissis jam ad ipsum propositum accedens primum in §§. 5—9 accuratius disputat

de antiquioribus vocibus Atticis

et primum quidem de vocabulis *καίω, κλαίω, αἰετός, ἐλαία, Ἀχαιῆς* loquitur. Ita enim libri manuscripti plerumque has voces exhibent, cum grammatici pro diphthongo *αι*, inde ab Homeri temporibus in universa poesi Graeca usurpata vocalem *α* productam substituerint, sed illi ipsi non satis sibi constantes neque inter se ipsos consentientes, cum e. g. de voce *ἐλαία*, *ἐλάα* alii doceant *ἐλαία* arborem significare, *ἐλάα* fructum, alii utique *ἐλάα* scribendum esse contendunt, alii denique utramque vocem, et *ἐλάα* et *ἐλαία* in usu fuisse tradant, cui postremae opinioni assentiendum. Ut enim in Homeri carminibus variae ejusdem vocabuli formae, v. c. *καρήτι, καρήατι, κραατί, κρατί*; *ἐμμεναι, ἐμεναι, ἐμεν, εἶναι* inveniuntur, non ad numerorum cursum expediendum poëtis fictae, sed ex antiquiorum temporum memoria haustae, simili ratione etiam tragicis poëtis binae saepe singulorum vocabulorum formae cum pro omni universae artis poëticae consuetudine, tum pro artis tragicæ origine ac natura propositae fuerunt, altera vulgaris, altera poëtica, quarum prout aut versuum elegantia commendabat aut singulare quoddam consilium postulabat, nunc hanc, nunc illam delegerunt. Jam quamdiu in litteris antiquior consuetudo cum dialecto Jonica arctius cognata valuit, tamdiu *καίω, κλαίω, αἰετός, ἐλαία, Ἀχαιῆς* scribere solebant; postquam autem propria ac peculiaris populi lingua plus sibi comparavit auctoritatis, vetustiores voces magis magisque exolescere coeperunt, quae commutatio Euclidis archontis fere aetate ad finem perducta est, a quo tempore saepius scribebatur pro *σσ — ττ*, pro *τοκῆς — τοκῆς*, pro *τύπτει — τύπτει*. Tamen consentaneum esse non repentine ex altera linguae quasi aetate in alteram transsultum esse, sed gradus quosdam inter antiquiores et recentiores formas fuisse, tragoediam vero utpote pro universa et argumenti sanctitate et orationis gravitate ab usu cotidiano longe remotam, non ad volgarem hominum sermonem descendisse, qualis in comoedia usurpari tum coeptus est, sed antiquiorum formarum earumque cum universa Graecorum poesi communium sollemnitatem retinuisse; unde sequitur tragicos non *κάω, κλάω, ἄετός, ἐλάα, Ἀχαιῆς*, sed *καίω, κλαίω, αἰετός, ἐλαία, Ἀχαιῆς* scripsisse.

Quod de his vocibus Gerthius disputat, idem ad voces *αἰεῖ, Ἀθηναία, προναία* pertinere in paragr. sexta evincit, in quarum vocum usu non minus antiquioris linguae usus agnoscendus est; et quod ad vocem *αἰεῖ* quidem pertinet, in hac forma tragici pro spondeo antiquiorem et grandiore formam *αἰεῖ*, pro jambo *αἰεῖ* ei usurpavisse videntur, itaque olim editores vocabula *αἰεῖ, αἰεῖ, αἰέν* disponere soliti sunt, ut *αἰεῖ* teneret jambi locum, *αἰέν* efficeret trochaeum, spondeo ubi opus esset, collocaretur *αἰεῖ*. Quamquam haec dispositio veterum grammaticorum praeceptis vel conjecturis aliquatenus in dubium vocatur, ex quibus praeceptis illud quidem recte a Gerthio concluditur, jam inter veteres de vocalis *α* mensura dubitatum esse, obtinuisse tamen eos, qui, ut in verbis *κάω, κλάω, ἰθαγενής* (ex *ἰθαγενής* ortum) longam vocalem videbant, in *αἰεῖ* quoque ejectam vocalem *ι* productionem suppletoriam *ᾱ* effecisse statuerent.

In paragr. 7 de vocibus *λαός, ναός, ἱλαός* disputatur, quae etsi ipsae Atticae, tamen antiquiores sunt quam *νεός, λεός, ἰλεός*, ideoque bene tragoediae gravitatem decent. Qua in re acute Gerthius demonstrat, has juniores formas *νεός* cet. non interposita quadam forma *ηο* ex antiquioribus illis exortas esse, sed *α*, quod cum accentu non acueretur, non ita distincte et accurate ab sequenti vocali *ο* pronuntiando discerni poterat, uno et

eodem tempore vocem in vocali *o* diutius subsistere eamque vocalem sponte producere jussit, cum ipsum statim correptum et ut *ε* pronuntiari coeptum esset. Nihil enim ab Atticorum lingua magis abhorrebat conjunctione litterarum *ηο*, quae etiam causa fuit, cur non requiescerent in Ionica genetivi forma *οιζήος*, a nominativo *οιζεύς* ducta, sed vocalium mensura transposita *οιζέως* pronuntiarent, eademque causa, cur nominum in *ις* exeuntium genetivos ut *πόλεος* cet. cum *πόλεως* commutarent. Itaque Gerthio tragici etiam vocis *ναῦς* solis antiquioribus formis *ναός*, *ναῶν* usi esse videntur, contra formis *νηός*, *νηῶν* ut mere Ionicis abstinuisse. Quod contra eas hujus vocis formas attinet, in quibus vocalem *α* non *ο* vel *ω*, sed *α*, *ε*, *ι* sequitur, ut *νηί*, *νηές*, *νηας*, *νηα*, haec non tam epicae habendae, quam antiquiori Atticismo tribuendae sunt; quarum quidem formarum *νηί* et *νηές* etiam in quotidiano sermone usurpabantur, *νηα* et *νηας*, etsi *ναῦν* et *ναῦς* legitimo usu receptae sunt, non prorsus spernebantur, sed eo facilius aliquantum auctoritatis in litteris habebant, quod formis *νηί* et *νηές* optime respondebant. Praeterea *νηίτης* apud Thucydidem legitur, *προνήϊον* in titulis, (*νάιος* quod in tragicorum diverbiis legitur, doricum est)*).

In paragrapho 8 Gerthius ad voces *κλής*, *κλήω* (pro *κλείς*, *κλείω*) similes et ad terminationes *ῆς* (*εῖς*), *η* (*ειν*), *η* (*ει*) progreditur; et in illis quidem vocibus *κλής*, *κλήα* grammaticorum praeceptis contra librariorum inconstantiam bene demonstrat, tragicos veterem rationem maluisse sequi quam recentiorum Atticorum morem. Diversarum autem hujus vocis formarum ordo et usus Gerthio auctore hic erat: prima forma *κληεις* (latin. clavis) digammate eliso pronuntiari coepta est *κληῖς* (qua voce et Homerus et Euripides antiquitatis amator utuntur), et vocali *ι* correpta: *κληῖς*; ex hac voce profluxerunt et *κλής* et *κλείς*, *κλείς*.

Idem de nom. plur. substantivorum in *εως*, qui in *ῆς* exit, statuendum est. Ut enim e *κλειεις* manarunt *κλής* et *κλείς*, *κλείς*, sic e *βασιλῆς*, i. e. *βασιλέεις* aut per contractionem *βασιλῆς* aut vocali *η* correpta *βασιλέεις*, *βασιλεῖς*, unde apparet scripturam *ῆς* cum *ι* subscripto prorsus rejiciendam esse. Longior autem forma *ῆς* tragicorum tempore aequae obsoleta fuisse putanda est, atque genetivi terminatis *ῆος*, cujus praeter Solonis verba a Lysia (in oratione decima) excitata nullum in litteris Atticis vestigium repperitur ante Euripidem, qui more suo reconditissima quaeque congerens semel scripsit *Ἀχιλῆος* Iph. Taur. 436: *Ἀχιλῆος δρόμους καλλισταδίους* in cantico.

Deinde de plusquamperfectorum temporum duplicibus formis verba faciens, primae singularis personae formam quae in *ειν* exit Gerthius a tragicis abjudicandam esse putat, scribendum *η*, quia Eustathio teste etiam Plato et Thucydides semper in hac persona terminatione *η* pro *ειν* usi sint, quae forma *η* ex *εσ-α*, *εα* contracta est.

Postremum in hac paragrapho de Indicativi medii sive passivi altera persona, quae in codicibus semper *η* est, disputans recte hanc formam contra diserta grammaticorum praecepta defendit, qui Atticis non hanc, sed alteram terminationem *ει* tribuunt, et contra recentiorum editorum subtiles opiniones recte tragicorum usum qui ipsi antiquiorem Atticorum linguam sequebantur ex origine hujus formae demonstrat. Prima enim forma erat *τύπτε-αι*, i. e. *τύπτε-σαι*, ex qua necessario factum est *τύπτει* s. *τύπτει*, unde correpta vocali *τύπτει* factum est. Jam illam antiquiorem formam tragici, recentiorum

*) Conferas autem quae de hoc vocabulo dixit Raph. Kühner Gr. Gr. ed. II, Vol. I, p. 358 not. 7.

utpote in cotidiano sermone usitatam oratores et comici poëtae adsciverunt; recentissima denique aetate illam antiquiorem redintegraverunt, nisi in tribus verbis *βούλει, οἶσι, ὄφει*.

Denique in paragr. IX, ultima hujus capituli, de dativo pluralis primae declinationis agitur, cujus duae formae *αῖσι* et *ῆσι* inveniuntur, quarum tragici quidem Gerthio illam priorem tantum in *αῖσι* usurpavisse videntur, vetustiore hanc ac paene oblitteratam in *ῆσι* vitasse. Utraque forma et *αῖσι* et *ῆσι* ex prima forma *αῖσι* exorta est, altera correpta vocali *α*, altera *α* in *η* mutato; in paucis autem locis ubi haec Ionica forma *ῆσι* legitur, Gerthius eam sive librariorum incuria, sive nimis diligenti Homericarum formarum imitatione falso illatam esse putat. Quanquam hac in re aliquid dubitationis eo existere potest, quod, ut jam in diss. mea p. 8 dixi, dativi forma in *ῆσι* exiens in Atticis titulis interdum occurrit, neque certe inter ductos viros constat, num utique haec forma a tragicorum carminibus abjudicanda sit.

Quodsi totum hoc caput, cui Gerthius „de antiquioribus vocibus Atticis“ inscripsit, animo repetimus, videmus in eo maxime de iis grammaticis rebus agi, quae magis ad orthographiam quam ad propriam verborum formationem, i. e. ad declinationem et conjugationem pertinent. Et tota hac disputatione quam accuratissime instituit, et lacunam quae in libello meo erat explevit, neque infitior eum accurata codicum pervolutione et grammaticorum praeceptis diligenter adscitis multas res adhuc dubias ad rectum iudicii finem perduxisse.

Jam poëticas formas, quas tragici non a Doriensibus petierunt, saepe ex sola metri necessitate profectas esse, hujus rei clissimum documentum videtur esse, quod praeter poëticas formas in lyricis tragoediae partibus ubique etiam vulgares adhibuerunt, neque ad dialogum solum pertinere puto, quod G. d. Hermannus in praefatione Bacch. p. VII dixit, poëticas formas, quae non viderentur alienum quid sonare, pro metri commoditate variatas esse. Sed rectissime mihi Elmslejus ad Eur. Med. v. 88 poëticas formas ea lege a tragicis usurpari videtur censuisse, ut communis forma in eadem sede posita metro adversetur *). Qua opinione nihil prorsus de tragici sermonis gravitate dignitateque detrahi videtur. Potius quia poëtae erant vineta oratione utentes, eo ipso pro metri commoditate poëticas formas adhibendi jus habuerunt. Accedit quod plerarumque epicarum formarum nonnulla certe exempla in diverbiis quoque inveniuntur et in anapaestis, qui ad vulgarem sermonem propius accedunt, vel apud Aristophanem. Hic ipse in lyricis quoque comoediae partibus epicar formas rarius adhibuit, quas ad totam rem penitus pertractandam, in hac disputatione non omittendas esse putavi. Ceterum apud hunc epicar formas maxime metri necessitati paruisse, facile putaverim, exceptis iis locis, ubi de industria antiquum orationis colorem captat, ut in poëtae versibus in avibus (v. 910 sq.), in quibus vel tales formas invenimus, quae aut in tragoedia tantum apparent, ut *ἡλυθον* 951, *ἀέζων* 936, *μουσάων* 909, 913, aut ne hic quidem inveniuntur, ut *δόμεν* 930, 974, *τείν* 930, *ἐμίν* 928. Neque enim illa opinio de epicar formarum apud tragicos usu ita intellegenda est, quasi

*) Conferas quae G. d. Hermannus in praef. Bacch. p. 9 ad hanc sententiam addidit.

omnes dicendi rationes, quaecunque in poëtica lingua inveniuntur, usurpaverint, sed hic quoque modum tenentes multis formis abstinerunt, quibus e. g. Pindarus usus est. Philologi autem est cognoscere, quid omnino tragici sibi permiserint, quidque ex illa vetere poëtica lingua in suum usum deprompserint, quid evitaverint *).

